



00
Kt

2947
An

44

48

D. F. G.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

De

COLICA,

Quam

AUTHORITATE & CONSENSV

GRATIOSISSIMÆ

FACVLTATIS MEDICÆ

In

INCLVTA NORICORVM VNIVERSITATE

ALTDORFFINA

Sub

PRÆSIDIO

SACRO-SANCTÆ TRINITATIS

Pro

LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores

ac Doctoralia Privilegia legitimè

impetrandi,

Publica disquisitioni Eruditorum submittet

PHILIPPVS WILHELMVS MOGEN,

Nassoicus.

Ad diem XVIII. Junij, A. C. M. DC. XCIV.

Typis HENRICI MEYERI, Universitatis Typographi.





D. F. G.
DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

COLLEGIUM

AVTHORITATE & CONSENSU

DE ACADEMIA

FACULTATIS MEDICAE

NOTATA NOTORUM UNIVERSITATE

ALTDORFENSIS

sub

PRaesidio

SACRO-SANCTAE TRINITATIS

Die

LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores

ac Doctoralis Privilegii Legimus

imperandi

Publice disputationem Exordiorum submittit


PHILIPPVS WILHELMVS MOGGER

Thesaurus

W. Henrici Meibneri, A.C. M. DC. XCIV.


Typis Henrici Meibneri, Universitatis Typographi





J. J.

Proœmium.



*N*achinam Humani Corporis accuratè obser-
vanti, ibi præter inconstantiam nil constan-
tius, præter incertitudinem nil certius, præter
mortem nil citius, animadvertere licebit; si-
quidem quamvis etiam in summo Evētiōis gra-
du sit positum Corpus nostrum Humanum, at-
tamen quamprimum viscera in officio suo deficere incipiunt,
succu colliguntur vitiosi, ordinariæ ac salutares naturalis mix-
tionis violantur leges, aegritia, damnosaq; introducitur intem-
peries, ex qua humorum heterogeneitate, varios morbos, variaq;
oriri symptomata necesse est; Ex omnibus autem hisce naturæ
adversis, istos affectus præprimis, qui corpus cum animo affici-
unt, esse attendendos, sana dicitur ratio, Et ægrorum id efflagi-
tare videntur suspiria, quippe de doloribus initium querelarum
facere deprehenduntur his cruciati. Luculentissimum nobis si-
stet exemplum DOLOR COLICVS, qui nonnunquam adeo
vehementer sævire solet, teste Galeno, ut hoc laborantes sibimet
ipsis non raro violentas inferre manus coacti fuerint. Præter
mali verò hujus frequentiam, ipsa quoque ejusdem pertinacia
me movit, ut loco Inauguralis Speciminis ipsius curam brevi-
ter delineare sustinuerim. Imparem quidem ingenii viribus la-
borem me suscepisse ingenuè fateor, interim tamen dimidium
facti cum ritè precatus habeat, ad Summum Archiatrum, à
quo omnium actionum capessenda sunt primordia, confugio, de-
votiq; ac ardentibus Hunc imploro precibus, coeptos ut feli-
ces esse jubeat labores, omniaq; ut in Sanctissimi Nominis sui glo-
riam, proximiq; commodum, cedant Et excrescant, faxit!

A 2

C A-



CAPUT I.

Tum nominis, tum rei ipsius proponit
Descriptionem.

§. 1. **P**ictores ideam propositam convenientibus lineamentis, punctis, ac coloribus antequam exhibeant, rudi prius minervam eam delineare solent. Profectò horum si imitemur morem, themaq; propositum per umbram descripsimus prius, quam ad rei ipsius essentiam exponendam pedem promoveamus, non ineptè procedere videbimur. Nominis itaque (quod rei ipsius umbra) evolutionem præmittemus, hancq; paucis absolvisse sufficiet.

§. 2. Quod ergò Dolorem Colicum, partim à symptomate, partim à loco affecto sic denominatum, attinet, is communiter Colica vocatur, ab intestino Colo, hoc verò creditur derivationem accepisse vel ἀπὸ τῆς κοιλίας, à tardare, quòd faeces alvinae intra cellulas suas remoretur, vel à κωλύειν à torquendo, in varias enim cellulas contorquetur; alii ita dici putant ob magnitudinem, nam κόλον magnum significat Jonibus; sicuti alii κούλον pronunciant, cavum quippe licet hoc intestinum καὶ περιεσπία secundum prærogativam vocare, quam in mole sua habet suprà reliqua, unde etiam ab Hippocrat. lib. VI. Epidem. Sect. IV. 3. ἐντερον intestinum simpliciter appellatum legitur.

§. 3. Varia interim hujus vocis est acceptio, nonnulli generaliter pro quocumque abdominis dolore, sive in intestinis, sive in reliquis abdominis sentiatur partibus eam accipiunt, multi verò strictè & specialiter pro genuino Coli dolore capiunt, quo sensu & à nobis in præsentiarum usurpatur.

§. 4. Sciendum verò præterea, Colicam aliàs Latinis dolorem colicum vel passionem colicam, & Græcis κωλικὴν διάθεσιν vel ἐπιπλητικὴν κωλικὴν, appellari. Prænobiliss. Ampliss. Excellentiss. ac Experientissimus DN. JAC. PANCRAT. BRUNO, Phil. & Med. Doct. hujusq; Prof. Publ. longè Celeberrimus, Præceptor ac Patronus summè colendus observantia in Castello suo renov. plenioris intestini morbum dicit, Celsus laxioris, Germ. die Kolic audit.

§. 5. Hac

§. 5. Hæc de nomine delibasse sufficiat, plura quidem adhuc synonyma addere possemus, siquidem doloris mentio fit, qui exprimitur per tormina, contorsiones, &c. cum verò hæc sint notissima, ac brevitati studeam, sicco talia præterire pede lubuit.

§. 6. Præmissâ evolutione nominis, proximum erit, ut ad rei ipsius definitionem nos conferamus, quæ totam affectus nostri essentiam proponit, estoq; sequens.

§. 7. Dolor Colicus est tristis sensatio intestinorum, præsertim Coli, à solutione continui partium nervosarum eorundem per objectum improportionatum violenter factâ proveniens.

§. 8. Ex modò dictis igitur haud difficile colligere datur, generis loco tristem fuisse positam sensationem, siquidem in hac formalis consistit doloris ratio, quod ipse nos docet *Galen. lib. 2. aff. p. n. loc. 2.* nam nulla Colica absque dolore acutissimo, nullus dolor absque tristi vel molestâ percipietur sensatione? Nil enim nos movere debet aliorum opinio, qui vel solutionem continui vel intemperiem generis vices sustinere posse contendunt, siquidem hi causam cum effectu confundere videntur.

§. 9. Tristis verò illa ac molesta sensatio cum sit quid p. n., num ad morborum vel symptomatum referatur classem, inquiremus. Commodius ad symptomatum quàm morborum ordinem posse referri, multi non sine ratione contendunt, cui sententiæ & nos subscribere non erubescimus, siquidem, dicta jam sæpius, molesta sensatio ad actiones meritò pertinet læsas, quæ primam symptomatum constituunt classem. Rursus tamen utrum actio hîc augeatur an depravetur dissentiunt Autores, nonnulli in dolore sensationem actionem læsam auctam censent, nos aliorum iudicio depravatam potiùs opinantium subscribere nulli dubitamus, siquidem sensus, quem pars ordinariè & s. n. habet, non augetur sed omnino depravatur. Vid. *Sennert. instit. lib. 2. p. 3. Sect. 1. cap. 6.* Reliqua definitionis verba à subjecto, & causa morbifica petita differentiam complectuntur ad conceptum essentialem necessariam.

Subjectum examinatur.

§. 1.

Pars affecta ex supra posita definitione, tam nominali quam reali, abundè satis equidem innotuit, utrobique enim ἡ κῶλα mentio facta est; Sed enim verò Autorum plures, præter colon non modo reliqua intestina, verùm etiam quasvis abdominis partes membranofas, pro subjecto seu parte affectâ haberi posse & debere contendunt, sicuti ex Veteribus *Merc. Piso. Capivac. Spigelius*, ex recentioribus verò præprimis *Willis.* videatur *Part. II. de Anim. brut. cap. 15.*, ubi is distinctione inter Colicam accidentalem & habitua-lem præmissâ, in posteriori mesenterium partem primariò affectam statuit, eò quòd materia morbifica à capite per nervos in ventrem lapsa, nidos maximè idoneos in mesenterio reperiat, in quo scil. nervi plurimi & magni, eorumq; plexus & distributiones valde ingnes habentur.

§. 2. Et sanè negari non potest, cùm maximus sit nervorum consensus, præter Colon, reliqua quoq; intestina (utpote se mutuo excipientia, quæque doctrinæ causâ potius quam naturæ diversitate distinguuntur) hisq; alias annexas, coherentes & intercedente nervorum consortio conspirantes partes, in consensum trahi ac rapi posse; quam sympathiam, tam adulti quàm tenelli adhuc infantuli sæpissime experiuntur, imo cum in his longè adhuc teneriores sunt nervuli, longè exquisitior quoque observatur consensus, quod ex epilepsiâ hinc pronatâ, quam communiter *die schwere Noth im Leib/ oder das Darmfleischlich/* vocant, ubi ipsum cerebrum, basis nervorum per sympathiam afficitur, constat. In ætate provectis quoque partium hæc symbolizatio, & præprimis in sequiori sexu occurrit, dum mulieres, ex colico dolore hysterice obnoxia etiam passionibus simul fiunt, & viceversa.

§. 3. Verum enim vero dicta hæc viscerum symbolizatio nostræ non contrariatur hypothese, eamq; tollere nescit, cùm tam coli structuram, quàm hujus æque, ac doloris situm, aliasq; ubi lustraverimus circumstantias, sæpius primarium focum Colicæ in colo intestino adesse evidenter pateat; siquidem hocce præ reliquis ex crassioribus tunicis constat ac fibris, anfractibusq; sinuosis stipatur multis, quare aptissimum ad recipiendos humores acres, ro-
dentes



dentis, mordaces, in primis viis genitos flatus, aliaque dolorem Colicum causantia hospitaculum, primariamq; sedem sustinet; quod ipsum eò quidem magis audacter asseveramus, dum & ipse *Sylvius* nostræ adstipulatus est opinioni *l. 1. prax. c. 14. §. 17.* ubi postquam Coli exposuit mæandros, in abdominis ambitu ac circumferentia exortum dolorem verè Colicum dicendum voluit, atque mox sequentia subjunxit verba notatu digna: *quamvis nonnulli presentem nostrum affectum eo tantum beent nomine, qui partem anteriorem ac superiorem, cinguli instar angit ac cruciat; inscii aut immemores, quam saepe usq; ad umbilicum & quandoq; ad vesicam usq; insigni anfractu per medium volvatur abdomen colon.* Conf. *Ettm. oper. p. 157.*

§. 4. Cùm itaque jam constet, summo jure Colon, in cujus ampla cavitate campum quasi martium fortiuntur scybala, flatus, humoresque omnis generis, focum præsentis nostri affectus nos dixisse, ulterius disquirendum restare videtur, an æque secundum dextram, quam sinistram, dolore afficiatur partem? In hac dolorem contingere posse, multi sine tamen ratione negarunt, cum adducta à *Schönfeld. Hist. cent. 1. hist. 38. p. 49.* longè aliud nos doceat, ubi rustici cujusdam summis in sinistro latere Colicis cruciati doloribus mentionem facit; Insuper quoque & *Fab. Hild. cent. 1. obs. 58. p. 48.* jam pluries magis in sinistra quam dextra, sub costis mendosis, dolorum exacerbationes sese observasse testatus est. Denique & ipsa *αὐτοψία*, arcanorum naturæ revelatrix, nobis aliud credendum persuadet, dum majorem in sinistra quàm dextra nobis patefacit angustiam, quam primus observavit *C. Baubinus*, qui *lib. 1. th. anat. c. 17.* videatur. Missis his, proximum erit, cum institui ratio id exigat, ut causarum contemplationem aggrediamur.

C A P. III.

Causas tradit.

§. 1.

Immisissis sic velis ventis, nomen, definitionem, genus & subiectum prætervecti, rectà ad causarum investigationem accedemus, quippe per has, ut cunctarum rerum, ita & morborum accurata acquiri cognitio solet, cognitâ enim causa, cognoscitur & effectus, hæc sublatâ tollitur & idem.

§. 2. Jux-



§. 2. Juxta consuetam itaque rationalem methodum à proximâ seu immediata, inter quam & morbum alia nulla intercedit, exordiemur, quæ est continui in definitione propofita solutio, hæc enim sicuti omnis doloris ita quoq; maximo jure, omnium fere Dogmaticorum consensu, atrocissimi Colici cruciatus causa statuitur proxima, vid. *Sennert. instit. lib. 2. p. 3. Sect. 2. c. 3.* talem verò unitatis solutionem ab objecto interno improportionato *Βίαιος καὶ ἀπόρος* confertim & cum impetu agente dependere jamdum monitum est.

§. 3. In hoc ergò ulteriùs investigando nunc occupatus, latissimum causarum mediatarum proximiorum campum ingredi cogor, quem pandit doctrina de humoribus & vaporibus, qui partim qualitatibus (non tam primis, quàm secundis) partim verò quantitate, peccantes, dolorem causari valent.

§. 4. Et ecce biliosa colluvies statim mihi obvenit declaranda; ubi tamen notandum, bilem per se, suoq; Θ e volatili $\circ\circ$ so, si adhuc sit imprægnata, ad gignendum dolorem esse ineptam, imo cùm sit de natura alcalium saponariæ naturæ, abstergere potius intestina, acorem temperare, adhærentesq; sordes instar clysteris naturalis abluere: Ast hæc ipsa, ubi blandâ, balsamicaq; sua destituitur virtute, Θ ia sua magis explicat, acorem potius auget, quàm obtundit vel demulcet, potiùs rodit, fibras distendit, inquietudinem, sensationemq; molestam ciet.

§. 5. Non minorem & hûc contribuere videtur opem noxiam succus pancreaticus, qui ortu aliisq; qualitatibus lymphæ similis lymphæ, proprio tamen fonte scaturiens, uti aliarum glandularum lymphæ æque subinde aciditatem ac austeritatem contrahit, sicq; pituitæ intestinali, reliquisque excernendis, quando commisceatur, dolorem non infrequenter satis urgentem infert, de quo vid. *Ettm. p. 159.* ubi inquit, acidum pancreatis aut acorem stomachi vitiosum in intestinis istorum torminum frequentissimum esse autorem.

§. 6. Præter bilem verò & lympham pancreaticam, humores acufatos acres tenues, culpam morbificam etiam habent humores viscosi ac crassi, quemadmodum ipse *Galen. lib. 2. loc. aff. c. 5.* id confirmare videtur proprio exemplo, dum ibi memorat accidisse sibi dolorem vehementissimum, ut videretur ventre infimo terebrâ perforari. Mali vero hujus causam in humores crassos ac viscosos

dos transfert, inter quos pituita dicta vitrea quæ tum quoad colo-
rem, tum quoad substantiam, vitro fuso cum non sit dissimilis, vi-
treus humor seu si mavis pituita vitrea dici suevit, ab eodem præci-
puè accusata legitur, dum maximam hujus partem, sese injecto prius
oleo rutaceo exereviffe, sicque à morbo liberatum fuisse, dicto te-
statur loco. Nec mirandum dictam modo pituitam p. n., in colo-
latitantem, atrocissimos inferre posse dolores, cum præter vitio-
sam qualitatem, conjungatur simul quantitas vitiosa, ita ut par-
tim distendendo, partim verò lancinando ac rodendo solutionem
continui intendat, & consequenter dolorificam inducat sensatio-
nem. Hæc non parum illustrare videtur historia, ex relatione
Peuceri à Salmuth. cent. 1. observ. 78. adducta, ubi refert, in quo-
dam colica consumpto, ac dissecto, totum colon, pituitâ adeo
incruiatum ac infarctum fuisse, ut vix foramen digitum admit-
tens, per quod aliqualis adhuc scybalis transitus patuit, relictum
fuerit.

§. 7. Ab hætenus dictis parum vel nihil recedere videmus ex
modernis *Sylvium*, qui cuncta suo accommodare studet triumvi-
ratui; & dolorem ardentem à bile cum succo pancreatico acidiore
vitiosè ac p. n. effervescente oriri, algentem, à succo pancreatico
acidiore & acriore, cum bile minus pingui, & pauca, effervescenti
originem trahere probat, pituitaq; mentionem facit, ac in do-
lore colico suam conferre opem contendit. Longius vero absce-
dit *Willisus*, qui summe improbabile judicat, bilem, succum pan-
creaticum, vel pituitam, tales atroces, ac fixos inferre posse cru-
ciatus, hisque ingeniosus Autor liquorem substituit nerveum,
verum enim vero, licet verisimilitudine hæc non destituatur
sententia, tamen cum liquor iste nerveus non satis demonstratus
sit, huic subscribere non audeo.

§. 8. Porro verò in caussarum censu adsunt Scybala, seu fæ-
ces alvinæ induratae, diutiusque retentæ, ac ad immodicam turge-
scentiam cumulatae, quæ tamen rarius forsitan immediatè & non-
nisi fovendo flatus tale quid præstare posse, præter *Sennert.* aliū
quoque Practici non sine ratione augurantur, quod & *Salmuth*
cent. 6. obs. 65. Brassavol. de remed. purg. c. 6. & Agricol. Chirurg.
parv. p. 21. contestantur, dum ipsimet ad multos dies, imo septi-
manam integram alvi suppressionem absque ulla observarunt mo-
lestia.

§. 9. Maximam flatuum vim ac efficaciam in Macrocosmo plura comprobant phaenomena, praecipue terra motus, ab iisdem excitati, id evincere solent. Simile quid nonnunquam in microcosmo evenire videtur, quatenus scilicet in intestinorum concameratione, à quacunq; etiam causa collecti & quasi incarcerati flatus, fugam intendendo ac moliendo, intestini tunicas praeter modum distendant, & cruciatus exquisitissimos inferunt; Praeter quotidianam ipsa tam *Fernelii Dodon. Plater. Marc. Donat.* quam aliorum experientia haec confirmat, qui maximam à flatibus distensionem observarunt; ratio etiam in promptu est, dicti enim flatus ab humoribus crassis ac viscidis producti ob tenacitatem cum solvi aut discuti tam facile nequeant, à calore expansi cavis partibus, intra quas coercentur, continui solutionem intentant; consentit nobiscum *Ettmüll. c. de intest. dolorib.* ubi ex materia crassa ac viscida, per vitiosam effervescentiam ex acido productam flatuum generationem proponit; accedit testimonium hominum colicis excruciatorum doloribus, qui borborygmos flatuum effectus sentiunt, & cum nec sursum nec deorsum propter obstructionem, à duris resiccatisque faecibus, aliisque de causis erumpere queant, importune in imo ventre resonantes audiunt, magnoque ac immani sub cruciatur experiuntur.

§. 10. Ut autem postmodum eò melius in cognitionem, causarum magis remotarum, accuratiorem devenire liceat, corporis dispositionem huic malo praecipue obnoxiam paucis nunc indagare juvabit. Hic ergo temperamentum cholericum primum considerari meretur, siquidem non levem occasionem in producendo dolore colico praebere observatur, praeditos enim hoc temperamento bile abundare in confesso est, sapientissime enim *άνω η̄ κάτω* eam externere deprehenduntur, corporisq; habitus graciliorum cum huic temperamento multum debeat, hic quoque non negligi meretur: Nec verò e contrario paucitatem nimiam bilis exclusam volo, siquidem bilis cum stimuli loco pro facum meliori secretionem interviat, non minus dispositionem colicam inferre potest, quatenus pituitam intestinalem tenaciorem relinquit, chylum à lentore haud expedit, alvinasq; faeces intestinis incuneari facit. Hinc obnoxii etiam colicis doloribus saepius deprehenduntur, qui cruditatibus frigidis ac acidis laborant, quique multum viscidae congeserunt pituitae, aut succum pancreaticum habent acrem acidum,
lati-

latitantes enim ejusmodi pravi humores, à levi etiã causã commoti, tormina colica causari valent. Neq; silentii conopeo involvenda implantata dyscrasia fluidorum catholicorum scorbutica sulphureo-salina, aut falso-muriatica, aut terreo-salina. Referrì quoque huc merentur nativa in utero materno acquisita dispositio, de quã vid. *Fabric. Hild. cent. 1. obs. 58. p. 48. Dol. prax. med. p. m. 462.*

§. 11. Sed quoniam hujusmodi dispositio corporis à variã dyscrasiã humorum enata, tunc præcipuè morbosam enitur diathesin, quando à causis procatarteticis movetur, ut in actum erumpat, hasce in causarum serie nunc porrò recensendã contemplari operæ pretium erit. Jam ergò cùm causæ procatarteticæ in rebus Medicis nonnaturalibus communiter dictis fundatæ sint, ex earum classe primò in proscenium adducimus Aërem, cujus etiamsi summa comunissima perpetuaq; sit necessitas, siquidem non incongruè ab *Hippocrate* vitæ autor & causa appellatur; nihilominus quatenus idem vitiosus est imprægnatus qualitatibus, suam in dolore colico excitando non denegat opem, quod multi ex epidemicã grassante colicã, (cujus mentionem fecit *Ægineta lib. 3. c. 43.*, probare conantur. Verum enim verò quoniam multos epidemicè grassari morbos, nullo tamen aëris præsentis vitio, per contagium potius corporale propagatos constat, hæc consequentia infirmo stare videtur talo; interim tamen nihilominus aër colicæ causa esse potest, siquidem, justo frigidior torpidum intestinorum reddit sensum, ut non prout debebant contenta excernant; adhuc humores ad coagulum inibi invitat, acorem præter-naturalem iis ingenerat, internum calorem debilitat, flatibusq; generandis sufficientem præbet ansam; sicuti hyeme præprimis id evenire docet *Celsus lib. 2. c. 14.* similiter ex pedum frigore dolores colicos in suo observavit *Fratre Forest. lib. 21. obs. 4. in Schol.* Denique halitus vitiosos inducentes colicam mediante aëre transferri posse, non rarò in metallifodinis observare datur, in iis enim qui operantur, à fumis præsertim hydrargyri alvi obstructiones non modo, verum etiam atroces colicas contrahere solent passionés, quod à metallico *Madelano* mihi, dum Jenæ degerem, relatum fuisse recordor.

§. 12. Post aërem sicuti cibus & potus justã proportionem, consuetoq; tempore assumpta, defatigatum corpus restaurant, ac reficiunt, ita & nimia quantitate, injustoq; tempore ingesta, stomachi calorem, ejusque fermentum obruunt, cui oneri ferundo



cum impar sit ventriculus, minus assumptorum centra solvere potest, unde plurimae dulces balsamicae chyli particulae non evolvuntur, & ad crassa intestina praecipue vero ad commodissimum hospitaculum intestinum colon deferuntur, in quo praesentem nostrum producunt affectum; simile quid causantur cuncta alimenta, quae cruditates adaugent, flatibus excitandis inserviunt, primum torminosum parturiunt, verbo dicam, cibi *δύσπεπτοι*, facile corruptibiles, styptici, quaeque copiosam, viscidamque mucilaginem pro dulci suppeditant chylo alimenta, quae cum sint difficilis digestionis, abeunt in liquamen mucilaginosum viscidum & acidum, quod postmodum in intestinis dat colicam, verba sunt *Ettmülleri*, ex horum classe praecipua est caro suilla, hircina, bubula durior, cuncta esculenta muriatica, infumata, lardum praecipua rancidius, quod nimiam flatuum generationem parit, fermentumque ventriculi destruit, & plura alia, sic & fructus horarii ob corruptibilitatem facile culpam haud vacant: Colicis quendam ex caseo avidius comesto cruciatum fuisse passionibus refert *Plater. Tom. 2. Prax. c. 13. p. 489.* Ex nimio ostrearum usu contumacissimam narrat colicam *Forest. lib. 21. obs. 7.* Tormina colica post esum porri & allii notavit *Hippocr. 6. Epid. sect. 8.* De se ipso affirmat *Heurn. comment. ad Hippocr. 1. aph. 1. p. 9.* quod quoties raphanum comederit, in atrocissimam tractus sit colicam. Plura addere exempla instituti prohibet ratio, quapropter & ad potum speciatim progrediemur, accusatur autem potus minus defaecatus, ut mustum cerevisia saeculenta & recens, similisque potus facile effervescente in flatulentias abiens, aut facile effervescente acescens, quod cerevisia decantata vulgo *der Breuhan* dicta, cujus meminit *Ettmüll.* quoque referri meretur: *Tim. à Guldentlee l. 3. cas. med. cas. 13.* ex vini generosioris largiori potu colicam narrat; Vina Ungarica, saeculenta, turbida, ac crassa accusat *Cober. Decad. obs. Ungar. 7. 8. 9.* Inter assumenda etiam medicamenta non immerito referuntur, eaque inter hanc nimiam acria, omnisque generis purgantia iusto acriora accusantur, quemadmodum de assumpto scammonio observationem tradit *Schenck. l. 3. obs. 190. Forest. lib. 21. obs. 13.* & species dijalapp. lethalem intulisse colicam refert *Barthol. cent. 5. hist. 25.*

§. 13. In tertia rerum nonnaturalium classe quietem & motum offendimus, partim in excessu partim in defectu peccantes, ideoque suum in perducenda colicam non denegantes auxilium. Sic
nimia



nimia ac intempeſtiva, poſt paſtum præprimis, ventre adhuc pleno, motio à *Riverio* deculpatur; nec minùs quies immodica, ſua in cauſis internis dolorificis fovendis vel ſuſcitandis ſolet ſuppeditare adminicula, uti patet ex vitâ ſedentaria, quæ foecunda hypochondriacorum mater dici ſuevit, alvum otium ſiccatur, caloremque torpeſcere facit.

§. 14. Somnum & vigilias p. n. ad cruditates, *Θia ſylveſtria* ac *Prum* accumulando, ſuam conferre operam, ille quidem congerendo, hæc vero caloris & humidi radicalis proportionem abſumendo, & exiccando, patet.

§. 15. Excernenda ubi juſto diutius retinentur, hoc mali generis frequenter accelerant, ceu calcario illi, cujus meminit *Foreſt.*, acciderat. Retenti ſtatus, conſuetæque evacuationes in utroque ſexu, non debito tempore redditæ, uberrimi torminum autores eſſe ſolent.

§. 16. Tandem & ad ultimam rerum nonnaturalium claſſem devolvimur, quam animi *maſticator* abſolvunt; hæc quatenus juſto ſunt vehementiora ad producendam Colicam concurrere certiffimum eſt: Sic moeror latitantem ſaburram acido-ſiſcoſam ita adaugere potens eſt, ut poſtmodum Colicæ paſſiones facilius inde excitentur; Sic ira affectuum tyrannus, vehementer bilem exagitando & effundendo, ſæviſſimaque tormina ſubito inducere creditur, vid. *Plater. lib. 2. obſ. p. 450. Tulp. l. 2. obſ. 41. p. 167.*

§. 17. Reliquum nunc eſt, ut ſubjungamus affectus alios præter naturales, qui dolorem Colicum vel excitant, vel comitè ſatis fidum habent; quos inter eminet Scorbutus, cujus (ceum jamjam innuimus) genuina proles eſt præſens noſter affectus, pari ratione affectus hypochondriacus, huicque affines reliqui *Feo-acidi* dolorem Colicum ſibi adſciſcunt. Hernioſos inſuper facile cruciatus perpeti colicos patet, ſiquidem ipſa nos id docet quotidiana rerum magiſtra; ita namque ex hernia inveteratâ dolores colicos notavit *Loſich. lib. 4. c. 6. obſ. 2. p. 413.* ratio, quare id fiat, in propatulo eſt, ſiquidem in inteſtinis in ſcrotum delapſis, alvinæ faeces interceptæ ſubſiſtere coguntur, ſolutionemque continui moliendo dolorificam inducunt ſenſationem, quod patet in Enterocæle laborantibus. Quantum calculi & vermes huic conferant, variæ à variis adductæ historiæ exponunt: Sic calculos permultos diverſæ magnitudinis à colicis cruciatio paſſionibus rejectos notavit *D. Faber. apud Horſt.* Scribam



calculus magnitudine ovi gallinacei per alvum rejecisse refert *Marc. Donat. l. 4. c. 30. p. 523.* Similem intestinis impactam, crassam, lapidosamq; materiam eadem ita distendere posse, ut hinc dolores insurgant Colici, testatur *Barthol. cent. 3. hist. 75. p. 50.* Refertur huc meritorie observatio, quam retulit mihi Practicus fide dignus, Colicam in hypochondriaco-scorbutico, eamque singulis annis periodicam, medicamentis per aliquot annos paroxysmi tempore adhibitis, non tam sublatam quam sedatam, quinto demum ab invasione anno, usurpatis medicamentis maximam partem emollientibus cum antiscorbuticis maritatis, idq; pro interno externoq; usu, tandem Clysteribus, feliciter Dei gratiâ curatam & solutam fuisse, factâ sub his excretionibus aliquot quinque libras & amplius ponderantium, qui examinati & dissecti, (naturalia enim h. l. non sunt turpia,) argillaceam exhibebant massam, atque in anfractibus coli proculdubio antea tamdiu hæserant, donec antiscorbuticis vincula soluta, clysteribusq; viâ ad exitum reclusæ fuerint. Vivit idem per biennium jam sanus ac sospes, & ab hoc malo plane immunis. Lumbricos pangendo ac rodendo similes induxisse dolores comprobatur *Hild. cent. 1. obs. 57.* Hæc de causis dicta sufficiant.

CAP. IV.

Differentias exponit.

§ 1.

Instituti nos admonet ordo, ut ad examinandas differentias, quæ partim à parte affecta, partim à causa efficiente petendæ, gradum promoveamus nostrum.

§. 2. Ratione generis modique afficiendi, dicitur Colica punctoria, distendens, tortuosa, vid. *Galen. l. 2. de loc. aff. cap. 5.* continua quæ continuò, periodica quæ certo tempore, paroxysmans, quæ per paroxysmos suam exercet tyrannidem.

§. 3. Subjecti ratione dolor Colicus diversimodè dividi poterit, primo quidem in eum, qui vel in suprema, vel media, vel infima coli percipitur parte; deinde in essentialem, seu idiopathicum cum ipse fomes mali non aliunde provenit, sed in colo ceu parte primariò affecta radicatur; & sympatheticum seu dolorem per con-

sen-

senfum, qui & nothus dicitur, aliunde suam ducentem originem; quemadmodum inter alia exempla obvenit colica à nephritide profecta.

§. 4. Ratione causarum Colica est vel humoralis, quæ ab humoribus, varii generis, v. g. biliosis acris, Θ sis, viscidis, acidis, austeris, uno verbo scorbuticis, p. n. in intestino retentis, ac accumulatis oritur, unde spasmodica, scorbutica, hinc audit; vel stercoralis quæ à fæcibus induratis, & exiccatis, Θ inisq; imprægnatis particulis, introducit. vel flatulenta quam causantur flatus, sive in colo geniti, sive aliunde eò delati, quibus, si exitus denegatur alias consuetus, virtute sua elastica intestinum distendunt, doloremque satis urgentem inferunt. Tantum de differentiis; nunc ad Semiologiam, ut & in signorum deveniamus cognitionem, properamus, siquidem talia pro Curatione ritè instituenda test. Hipp. maxime requiruntur.

CAP. V.

Semioticam perlustrat.

§. 1.

Maximam curationis felicitatis partem à cognitione dependere morbi, unanimis Dogmaticorum est consensus, quapropter è re erit, antequam Curationem tradamus, genium præsentis nostri affectus ex Diagnostice bene prius indagasse signis, quæ cum ex hætenus dictis, ægrique relatione pateant, pauca de his differuisse sufficet.

§. 2. Signa itaque affectus nostri Diagnostica dividuntur clarioris doctrinæ gratia, vel in demonstrativa quæ certò demonstrant hunc & non alium esse affectum; vel in distinctiva, quæ ab affectibus cognatis præsentem nostrum discerni faciunt affectum. Demonstrativa quod concernit signa, sunt vel essentialiter inhærentia, & ex ægrorum relatione petuntur, qui de dolore vehementissimo circa regionem coli conqueruntur; vel essentialiter consequentia, quæ ex diversis conjunctis symptomatibus desumuntur, uti sunt diuturnior alvi constipatio, borborygmi, murmura, insufficientis urinæ excretio, (distenta enim à flatibus intestina, vicina vasa, ac ureteres comprimunt, quò minus urinosum serum ad vesicam deferri queat,) quibus animi deliquium, paralysis, motusq;

tusq; convulsivi nonnunquam sese associant, & jam insequuntur, jam vero præcedunt, quod confirmat *Vir Prænobilissimus, Amplissimus, Excellentissimus, ac Experientissimus* DN. JOH. MAURIC. HOFFMANNVS, *Phil. & Med. D. & in hac Noricorum Altdorfina Universitate Chem. & Anatom. Prof. Publ. longe Celeberrimus, Facultatis Medicæ h. t. Decanus Spectatissimus, Leopoldino-Imperialis Academia Naturæ Curiosorum Adjunctus, Patronus meus ac Promotor debite reverentiæ cultu omni tempore suspiciendus, in sua Dissert. Inaugural. Th. XLVIII. p. 28.* Nausea quoque non rarò cum vomitu supervenire deprehenditur, si bilis copiosior in ventriculum regurgitet, aliorumque pravorum succorum si adfuerit copia, ab hisce enim cum nervis mesenterii & intestinorum correspondentes fibræ ventriculi nerveæ in corrugationes spasmodicas vomitum molientes facile cieri possunt.

§. 3. Signa ratione subjecti desumuntur ab ipsa parte affecta, sic si in dextro ileo dolor sentitur, in coli principio, si in hypochondrio & epigastrio sinistro percipiuntur cruciatus, in coli medio & extremo fomitem mali hæere credendum, & in hac extremâ coli parte frequentius dolores occurrere, docet ejusdem in ea parte angustia, tum quia à fonte caloris situs ejus ibi est remotior.

§. 4. Causarum signa ex propriis fontibus desumi debent, si quidem ex ardore interno, cruciatu majori citioriq; remissione, & saturatori urinâ biliosum in causa esse humorem concludimus. Sic ex ardoris absentia, dolore fixiori, ructibus acidis, urina viscida & mucilaginosa, reliquisq; mucosioribus excrementis, humores pituitosos, ac serosos, acidos & austeros peccare colligimus. Ex borborygmis epi- & hypogastrii distensione status con-
jicimus.

§. 5. Sed ne in diagnosi colicæ fallamur, eamq; cum affinibus confundamus affectibus, erit operæ pretium, signa quoq; distinctiva, per quæ hæc acquiri solet cognitio, hinc inferere: quò minus colicam pro nephritide, & vice versa curemus, quem errorem semetipsum commisisse ingenuè fatetur, *Galen. l. 2. d. loc. p. n. aff. cap. 2.* Distinguitur autem colica, à nephritide, quod in Colica post pastum, præprimis post assumpta aromatica, quæ colicæ sunt remedia, dolor remittat, quod minus in nephritide fit, ubi post pastum dolor multo fit intensior; Urina in nephritide ostendit arenulas, non item in colica, confer. *Ettmüller. pag. 160.* ubi plura præter hæc recenset signa distinctiva, circa colicam & nephritidem notanda; Colica

Colica adstricta observatur, contra in nephritide, vomitus cibo sumpto nephriticum mox excipit dolorem, colicum non item vel rarius saltim; Iliaca passio à Colicâ in hoc discrepat, quod in illa dolor circa umbilicum, multo atrocius ac longius sævire soleat; insuper & scybala *æva* rejecta, ileum præsentem certò demonstrare poterunt. Ab hysterica passione Colica discernitur passio, quia communis passioni hystericæ est mensium obstructio, jungiturque faucium constrictio, & quasi suffocatio, dolorq; in coxis inguinibusque sentitur.

§. 6. Ordine jam devolvimur ad Prognosin, quæ cum jucunda fatisque necessaria sit Medico, in ejus pertractatione operam & oleum nos minimè perdidisse videbimur. Hic verò in genere cum *Hildano cent. 5. obs. 7.* monendum esse arbitramur: Nullum dolorem in quâcunque corporis parte esse negligendum, semper enim aliquid mali pronunciare solet; idem ergò etiam de nostro dictum putamus dolore colico, quem, quanquam ab initio appareat levior, non tamen parvi esse æstimandum, variæ à variis autoribus adductæ historiæ satis superq; confirmant. Sic *Panarol. pentecost. 4. obs. 50. p. 139.* refert Patricium Romanum, Colicam, quæ sub initio levis videbatur, interfecisse, intra decem horarum spacium. Ex neglecta Colicâ, abscessum in colo & ipsam denique subsequutam esse mortem, testatur *Fab. Hild. cent. 2. obs. 74.*, supinam hanc negligentiam fœmina quædam ex observatione Medici non ignoti, facile morte luisset, quæ colicis satis diu doloribus cruciata, feram ipsius implorabat opem, vocatus hic contumacem alvi obstructionem, & dolores acutissimos, Enemate emolliente simulque paregorico, iteratis vicibus, injecto, Dei gratia sustulit, ægra viribus fere exhaustâ, ex orco quasi sic revocata est, atque post usum clysterum excrevit particulas aliquot tunicæ coli erosæ, quarum fibrositas ad oculum patuit, quo factò acutus cessavit dolor erosæ verò tunicæ portiones, renatas fuisse, integra, qua in hunc usque diem fruitur, sanitas testatur. Satis itaque periculi secum fovet Colica, hinc tamen non statim concludendum, omnem Colicam esse lethalem, docente *Ettmüll.* Colica quippe rarius est perniciosum malum, ubi tamen nimis est contumax, vel non mature idonea adhibentur remedia, potest fieri lethalis; majus ceteroquin verò periculum in viris, quam fœminis (ceteris tamen paribus) portendit.

C

§. 7. Sic

§. 7. Sic Colica ex causâ evidente five errore externo ac solitaria, eaque non nimis contumaci pronata periculosa quidem est ubi negligitur, iustaque si non observatur diæta, quod ex multorum Practicorum Scriptis colligere licebit, interim tamen ubi conveniens circa sex res non naturales observata fuerit diæta, omni caret periculo, curatuque facilior alterâ, à causa epidemica vel spasmodica, seu à dispositione hæreditaria, dependente, quæ difficillime tollitur multumque periculi conjunctum habent. Sic *Höferus in Herkul Medic. p. 185.* Colicam cephalalgiam & maniam cum cœcitate, & deglutitione difficili, introduxisse narrat, in paralyfin Colicam degenerasse plura apud *Schenck. lib. 3. obs. p. 361.* annotata exempla confirmant. Ceterum in epilepsiam ac dysenteriam nec non in hydropem Colicam facile degenerare posse, præter quotidianam experientiam sana quoque nobis patefacit ratio, præcipuè autem si dolor fit cum nausea vehementissima continuus, orisque foetor, ubi sese manifestaverit, concludendum in illum minari transitum, quod ferè pessimum, ex culina enim cloacam fieri videmus. Denique si delirium, vigiliæ nimix, singultus, sudores frigidi, extremorumque à morbi inducta vehementia refrigeratio, se manifestent, salutarem non esse expectandum effectum, plurimæ Practicorum testantur observationes. Sic memini non ita pridem, Norimbergæ Virum quendam, aliquot annos Colicâ spasmodica laborantem, vomitu, singultu, & denique convulsionibus supervenientibus obiisse. Est itaque affectus noster gravissimus, non tamen lethalis, licet subinde fiat talis, fit tamen id non ratione sui, sed aut conjunctorum aut subsequentiũ symptomatum. Hæc & de Prognosi attulisse sufficiat.

CAP. VI.

Curationem tradit.

§. 1.

Perspectâ theoriâ ad Curationem absque ulteriori verborum ambage jam nos accingimus, cumque plus adjumenti herbarum quam verborum vis semper spondeat ægris, ideirco eò allaborandum, ut magis feliciter curemus quàm ut subtiliter disputemus. Quo autem curatio felicior, nanciscatur effectum, juxta consuetam ac receptam medendi methodum eam aggredimur, quæ cum

cura diversis nitatur Indicationibus, decenti ordine eas præmittere lubet.

§. 2. Primo igitur ante omnia opera danda erit, ut urgentiori mox succurramus symptomati. Licet etiam nonnulli symptoma, quanquam urgens, nil indicare posse augurentur, sed id causæ atrociori & vehementius agenti adscribendum esse moneant: Verum enim vero hoc à veritate alienum reputo, siquidem symptomata urgens etsi gravem quoque præsupponit causam, effectus enim de sua testatur causa, etiam ipsum causæ morbificæ violentiam æmulatur, ut ea propter omnino cogamur relictis paulisper aliis causis remotioribus, urgentiori prius succurrere symptomati, quod quidem in præsentē affectu est dolor, hic vero mitigationem seu præsens auxilium, vel relevationem ægri ab accessione postulat, ut verbis utar *Præ-Nobiliss. Ampliss. Excellentiss. & Experientissimæ* DN. MAURICII HOFFMANNI, *Med. D. & Prof. Primarii in hac Universitate summè per omnia meriti, Patroni & Præceptoris venerandi, in Method. III. symptomatum urgentium, Prudentiæ Medicæ ejusdem annexâ; idque ne vires ægri resolvantur, præsensque mortis periculum acceleretur; quare haud cunctanter, postposita paulisper ordinaria, extraordinariam seu symptomaticam medendi sequi impellimur methodum. Huic fini quadrant anodyna & narcotica, animadvertendum tamen non in quacunq; colica, sed ubi cruciatus maximi, cum ardore, febricula, siti, vigiliis, nausea, vomitionibus biliosis (quæ tamen malum neutiquam levant,) conjuncti visuntur, eadem propinanda & administranda esse, id quod confirmat *Excellentiss. Wedel. opiolog. p. 119.*, sic enim non modo symptomati sed & causæ prospicitur, signa enim hæc colicæ biliosæ sunt infallibilia, in reliquis vero colicæ speciebus, anodyna si propinare velis, malum non levabis sed exasperabis. In biliosa autem modo dicta colica ad anodyna, tutò tamen ceu ad anchoram sacram confugiendum, iis enim intolerabiles dolores, de quibus conqueruntur ægri, non modo sopiuntur, verum etiam simul somnus, qui per dolorum vehementiam fuit impeditus, comparatur, interim nihilominus in his propinandis nec nimis firmus faciles, sed simul contraindicantia probe attendamus.*

§. 3. Palmam fere cunctis præripere videtur Opiatum; non sine ratione dictum, Laudanum, est enim medicamentum insigne & maximâ laude dignum summa tamen cautione usurpandum, siquidem



dem non raro intempestivè adhibitum mortem intulisse memora-
tur, sed quoniam abusus non tollit usum, de tuto hujus usi ac vir-
tutibus admirandis, vid. *Gr. Horst. lib. 1. Epist. med. sect. 2. p. 286. &
lib. 3. part. 2. obs. 15. p. 286. ac lib. 2. Epist. med. sect. 16. p. 569.* Huic
L. O. affinis est pulvis anodynus D. Michaelis; Essentia verò ano-
dyna, cum non sit uniusmodi, generatim ejus dosis determinari
nequit, communiter autem datur à gr. vj. ad ʒβ. cum Tinct. bez.
vel Tinct. ʒ ii ʒata, sicq; misturam satis pulchram ast palato in-
gratam exhibet, ratione virium autem tincturam non contemnen-
dam. Clysteres quod attinet, anodynos, opiatos, de his vid. modo
laudatus *Excell. Wed. d. l. p. 138. & seqq.* Spectant quoq; huc cimna-
barina, pro exigentiæ scil. statu admixta, hæc enim primario dolo-
rem sedant, & sedando dolorem somnum conciliant, idque ʒe
suo blando cum mercuriali combinato principio, resolvendo simul
& imbibendo spicula salina rodentia; opiata autem secundariò do-
lorem sopiunt, primariò verò somnum inducunt, optimè ergo &
concinne maritata profunt. In his tamen propinandis semper cir-
cumspiciendum, an vires permittant, numque nullum contra adsit
indicans?

§. 4. Præstaret equidem aliàs omnino, dante malo inducias
symptomaticam ordinariæ postponere medendi methodo, causaq;
prius habere rationem, quàm prospicere symptomati, sed quando
tale urget, Curationem ad se primum omnium non tam trahit,
quàm abripit, uti antea demonstratum.

§. 5. Jam verò quamprimum dolorem placavimus, ordina-
riam auspicari oportet methodum, quæ indicationibus tanquam
mercuriali nititur statua; ne itaque in avia Empiricorum more de-
labamur, secundum has Curationem instituemus; Hanc vero
licet plerumq; juxta indicationem curatoriam, præservatoriam ac
vitalem Practici distribuunt, paucis innuisse sufficiat, eandem in
causarum morbificarum procatartearum, antecedentium & pro-
ximæ eo versari ordine, quo causæ ejuscemodi ad generationem
morbi aliàs concurrere solent. Totius enim curationis cardo in
causarum remotione vertitur, quia illis sublatis morbus tanquam
effectus cessat. Quare in omni colica cum adstrictior alvus sese
solvendam esse indicet, ea laxanda obstructionsq; reserandæ erunt.
In biliosa colica relictæ acres, rodentes, calidæq; ʒino-ʒæa lixi-
viosa particula, diluendæ, demulcendæ, ac contemperandæ. In
pitui-

pituitosa, crassa, lenta, viscidaque materia incidenda, detergenda, ac expellenda. In flatulenta flatus discutiendi, ac expellendi; In stercorali faeces induratae emolliendae ac evacuandae, & de reliquo portiones morbificae prius praeparatae, sicubi opus fuerit, expurgandae, varia concurrens intemperies emendanda, affectaeque partes roborandae erunt.

§. 6. Ad has adimplendas ostensiones Medicus occasionum inventor, ex triplici salutaris medicinae fonte, praesidiorum sufficientem hauriet materiam. Et primus quidem fons chirurgicus, auxilia quanquam rigorosa, maximè tamen nonnunquam necessaria subministrat, ex hoc enim solenne remedium V.S. petitur, quae & hic locum habere potest, ubi nimirum metuenda inflammatio, si febricula adfuerit, & ubicunque humorum calidorum affluxum futurum praevidemus, caeteris tamen paribus, administranda; si vero nullum ex his sese manifestet, rivulos hujus fontis sicco praeterire pedè convenit: Alterum ex hoc fonte desumendum auxilium, consistit in applicatione cucurbitulae magnae, cum multa flamma, quam exposcunt flatus, quo praesidio, non quidem tam supra, quam ad umbilicum admoto Colicam flatulentam incantamenti instar curari testatur *Galen. l. 12. M. M. c. 8.*

§. 7. Ast his solis cum praefixus scopus obtineri non possit, ad alterum saluberrimae artis nostrae *ραζοφυλάκιον* properabimus, ex quo uberrimam segetem sperare licet, & est fons pharmaceuticus, qui nostro fini adaptata fundit auxilia, tam purgantia quam alterantia, quae omnia ex prudenti Medici *επιχειρηματῶ* sunt seligenda; Notandum tamen ut à fortioribus abstineamus purgationibus, siquidem non raro convulsionum sunt autores, praepriis quidem in Colica biliosa, quae cum periculo non careat, periculosiorque sit reliquis Colicae speciebus, (siquidem in ileum, & spasmodicam ac convulsivam transitum, nisi in tempore succuratur, minatur) hujus curam primo suscipere conabimur, & quò satisfiat indicationibus ante dictis, tutissimam viam, incipiendo ab evacuantibus & lenientibus hostem expellere laborabimus. Commendant hic sese Clysteres, humores acres ac lancinantes, leniendi, eluendi, ac citra mordacitatis sensum purgandi vim habentes, qui exigente necessitate, iterum atque iterum repetendi; pro illis verò confiendis nobis sumum pharmacia offert apparatus, sufficientem dum exhibet materiam, praesto enim sunt Rad. lil. alb. malv. alth. Herb.

mercurial. branc. urfin. pariet. lactuc. chamæmel. violar. fl. sambuc. melilot. summit. cent. min. prun. dulc. ficus, sem. psyllii, cydon. lini, fœn. gr. &c. in Aq. simplici vel hordei decoquenda, addendo dein Colaturæ s. q. Syr. de cichor. c. rhab. Elect. Lenitiv. Florenz. &c. \odot chamom. amygd. dulc. violar. &c. tum insuper \ominus com. vel gem. adjiciendo, nisi forsan in intestinis paulo diutius clysteres morari expediat: Ex his igitur tam emollientes, quam laxantes ac evacuantes clysteres combinari poterunt, veluti formulam unicam apponere lubet talis enematis, acrimoniam humorum temperantis, & evacuantis, estq; sequens.

℞. Rad. malv. lil. alb. ā. ℥j.
herb. pariet. mercur. branc. urfin. ā. Mj.
fl. chamæmel. melilot. violar. ā. p. ij.
sem. fœnugr. ℥iij.
prun. dulc. n. vij.

Coq. in s. q. ∇ . simpl. Colat. ℞. ℥ix.

In q. dissolv. Syr. de cichor. cum rhab. Elect. de tamarind. ā. ℥℞.

\odot pur. ℥j. ol. violar. ℥vj. vitell. ov. n. j. M.

F. Clyster.

§. 2. Evacuata ita amurcâ biliosâ, ad relictas particulas \ominus ino-
leo-lixiviosas demulcendas ac diluendas sequens exhibeatur mix-
tura, per vices ad duo vel tria cochlearia:

℞. ∇ . acac. nymph. lactuc. ā. ℥i℞.
lap. \odot . præp.
unicor. fossil. ā. ℥j.
syr. de cochlear. ℥ij.
magist. anod. gr. xvj. M.

S. Temperirende und Schmergenstillende Mixtur.

Vel loco hujus

℞. Corall. rubr. preparat.
lap. \odot . præpar. ā. ℥j.
℥ ii diaph.
cinnab. nativ.
C. C. pbil. præp. ā. ℥℞.
laud. opiat. gr. iij. M.

F. Pulvis, cujus exhibeatur cum appropriato vehiculo
pro dosi ℥℞.

Si

Si dolor his cedere noluerit, supra de mitigatione istius sympto-
matis, quæ notata, in usum trahantur, quorsum & referenda the-
riaca, mithridatium, requies Nicolai, Phil. Rom. &c. sique vigiliæ
præter dolorem urgeant, sequens propinetur Emulsio.

R. Sem. 4. fr. maj. ʒ. ʒß.
papav. alb. ʒi.

cum f. q. ▽. hypnot. Dorner. F. l. a. Emuls. add. magist. L. O. ʒj.
Syr. papav. alb. ʒß. M. D.

S. Schmerzenstillende und Ruhbringende Milch einen Löffel
voll vor Schlaffen gehen zu nehmen.

§. 9. Internis verò suppetias ferant etiam externa, ubi laudan-
da Unguenta anodyn. dialth. &c. ois paregoricis mista, qui-
bus affecta pars ungenta, ac sacculo ex dictis parato herbis fo-
venda.

§. 10. Antequam fontem aperiamus Diæteticum, reliquas co-
licæ species, ex pharmaceutica pharetrâ depromptis remediis ex
corpore extirpare allaborabimus. Nempe enim pituitosam medi-
camentis, penetrandi, incidendi ac resolvendi virtute præditis, pro-
fligabimus, siquidem ut plurimum viscida, lenta, ac crassa hinc pec-
cat pituita, unde laudari meretur ω anticol. D. Mich. ω Θ *ci
simplex & aromatizatus, aromatum namq; usus in visciditate lym-
phæ probatissimus est, quo nomine quoque *Ess. Carmin. Wed.* utili-
tatem habet insignem, & similia profunt, in vehiculo v. g. ▽ *carm.*
Dornc. vel *Schröderi* commode propinanda. Clysterum quoque
usus approbatur, ex decoct. alth. malv. ʒrial. calaminth. puleg.
rosmarin. rut. absynth. &c. diacolocinth. benedict. laxativ. ois
aneth. rutac. chamæmel. &c. *Nicolaus Abrahamus Frambesarius*, si
ob dolorum vehementiam enema non retineatur, glandem ex mel-
le, Θ e, colocynthide, & hiera picra longitudine sex digitos æquan-
tem, administrandam jubet, insuperq; suadet, fatis expurgatis in-
testinis, clyisma sæpius infundendum, ex sesqui vini generosi ac
leviter adstringentis, in quo castorei ʒij. solutæ sint, libra; suam
quoque insigne illud resolvens sperma ceti operam non denegat,
sive per se ad ʒß. vel cum Elect. Diacor. exhibitum, vel cum ois
amygd. sed & guttis aliquibus olei alicujus carminativi v. g. anisi,
macis &c.

§. II. Ad

§. 11. Ad Extra fodus ex herbis jamdum dictis cum aromati-
bus mixtis commendantur, cunctaq; calida incidendi ac attenuan-
di virtute prædita hîc faciunt facienda. Porrò litus ex oleis cha-
mæm. aneth. &c. præstanda præstant.

§. 12. Stercoralis colica cum à fæcibus induratis suam ducat
originem, merito hasce emolliendas ac eliminandas esse supra in-
dicavimus, quod per enema emolliens impetrari poterit, exemplo
sit sequens.

℞. Rad. lil. alb. malv. ā. ℥j.
herb. s. aperient. ā. M℞.
flor. chamom.
melilot. ā. p. ij.

Sem. fœn. gr.

lin. ā. ℥iij.

Prun. dulc. n. vij. Coq. in f. q. ▽. simpl.

Colat. ℞. ℥viiij. Dissolv. elect. lenitiv. Florenz.

diacathol. ā. ℥β. o. chamæmel. ℥vj.

Vitell. ovi rec. n. j.

M. F. Clyster.

Litus emollientes ex ungt. dialth. o. amygd. d. chamæmel. &c.
quoque in usum vocandi; hîc etiam spectat ungu. de cyclamine,
umbilico inditum.

§. 13. Tandem & de flatibus erimus solliciti, quos discutien-
dos ac expellendos esse, jamdum monuimus. Utramque hic im-
plent paginam carminativa; quæ ipsa tamen non promiscuè pro-
pinanda esse rectè monet Galen. lib. 6. de loc. aff. c. 2. præprimis si
causa fuerit vehementior, ac atrocior, assumpta enim pituitam in
intestinis contentam in flatus resolvunt, & sic parum abest, ut pro-
sint quin potius noceant, idcirco tutissimam nobis eligemus viam
incipiendo ab evacuantibus ac lenientibus, quare cum clysterum
ope intentus scopus assequi possit, siquidem citra ullam præmissam
præparationem, præter dictos flatus, omnia in intestinis conten-
ta, sive fæces induratae, sive, calculi aut vermes, evacuant, huc ap-
ponere lubuit seq. formulam:

℞. Rad. lil. alb. ℥j.

acor. ℥ij.

herb. branc. urfin. cent. min.

byssop. ♀ rial. ā. M℞.

fl. cham.

fl. cham. melilot. ā. p. ij.

sem. anis. ʒj.

fœn. ʒiij.

bacc. laur. ʒij.

caricar. pingv. n. v.

Coq. in f. q. ▽ simpl. Colat. ℞. ʒviiij. adde $\circ\circ$ rutac. aneth. ā. ʒiij.

\odot ʒiati ʒj. vitell. ov. n. j.

M. F. Clyster.

Præmissio clystere, propinetur essentia flatus discutiendi dolorem-
que sistendi vi prædita, sitque sequens.

℞. Ess. carmin. Wed. ʒij.

Ω \odot dulc. ʒj.

Essent. anod. gt. xij. M. D.

S. Zertheilende und Schmerzenstillende Essenz 20. bis 25. Tropfen
in einem Löffel voll von beykommenden Wasser/
Morgens und Abends zu nehmen.

℞. ▽. carm. Dorncreil. ʒiij.

syr. de conserv. zingib. ʒʒ. M.

S. Wasser zur Essenz.

Postea verò sequens mixtura cochleatim propinanda per vices.

℞. ▽. fl. sambuc. carmin. Dornc. ā. ʒij.

cinam. ʒʒ.

Ω \odot ci anis. ʒj.

syr. calam. aromat. ʒvj. M.

Capiat æger de hac mixtura per intervalla cochlear.

§. 14. Externè linimenta, emplastra, & fodus sive sacculi ex
herbis carminativis locum habent.

℞. Ungt. dialth. ʒiʒ.

$\circ\circ$ carm. Myns. ʒj. M.

S. Sälblein / den schmerzhaften Ort damit zu schmieren.

Emplastrum de bacc. laur. commendatur malaxatum $\circ\circ$ quodam
carminativo. Zibethum non sine ratione laudatur in omni fere
Colica, siquidem suavi suâ *εὐαθυμίας* non solum Ω excitat, sed
& ob virtutem suam paregoricam & nervinam utilissimè in usum

D

trahi-

trahitur, balsamis unguentis ac Emplastris addendum aliàs; omnia hîc approbantur, calorem roborantia, & quemadmodum hîc, ita & in quacunq[ue] Colica à frigida inductâ causa. Sic lapis serpentinus in ferventi calefactus aqua, ventri sive epigastrio impositus auxilium suum confert, in defectu hujus substituit vulgus laterem aut operculum quoddam figulinum, vino madentibus linteis involutum: Omentum vervecis in lebetè calefactum, magno cum emolumento ventri imponi jussit *Crato*, p. 489. Insuper quoque nonnulli stercus vaccinum, cum O° & butyro, in cataplasmatibus formam redactum calide impositum maximè extollunt, quod medicamentum in plebejis & rusticis locum habere potest.

§. 15. Ex hactenus dictis patet, in omni Colica nos clysterum approbasse usum, contra *Paracelsum lib. 2. de Pro tr. 1. c. 6.* & *Helmont. lib. de febb. c. 7. §. 8.* & *seqq.* qui non modo inutile sed & turpissimum exclamant remedium; Ad primum respondemus, ipsam pro nobis loqui experientiam, quæ hujus auxilii utilitatem comprobat, quod jamdum in præcedentibus monstravimus, illud ergò nos non moratur; quare saltem ad alterum dicimus, ipsâ præside naturâ turpe nihil; Insuper quoque nos non movere debet, clysterum ut improbemus usum, si aliquando injecti clysteres minus expectationi responderint, siquidem id commune cum optimis etiam artis nostræ præfidiis habent, quæ nonnunquam ob causarum & circumstantiarum, quæ in ægro pariter ac morbo occurrunt, varietatem sine suo frustrantur, in tali ergò casu, si injectus clyster officio suo minus fuerit functus, iteratus etiam laudatur à *Thonero*, & approbatur à *Gesnero* juscul. gallin. pingue, in quo manna dissolvenda & O° amygd. d. rec. express. addendum, quod tamen non promiscuè imitandum, sed pro diversa cacochymia ratione, nonnunquam fol. Sen. Agaric. vel rhab. Alex. &c. præmissis tamen digestivis ac præparantibus, addi poterunt, & commodè vel sub forma potiunculæ vel vini medicati propinari.

§. 16. Agmen claudit Cura Colicæ scorbuticæ dictæ, quæ uti causam, omnibus relatis habent graviolem & peculiarem, ita nisi antiscorbaticis simul impugnetur, laterem sæpe lavabis. Laudamus ergo in hac specie, tum laxativa antiscorbaticis nupta, (videas enim sæpe fortissima istam eludere purgantia, quam addito antiscorbatico v. g. rad. ari, nosturtio, cochleariâ leniens expedit; tum specifica unius cujusq[ue] speciei his ipsis combinata. v. g. aqua-

car-

carmin. cum antiscorb. *Sennert.* Habemus consentientem præter Neotericos, *Sennertum.* Qui sua in praxi videri meretur de hac materia. Et hæc ex pharmaceutico fonte derivasse sufficiat, qui uberiorem de hoc affectu desiderat tractationem Practicorum evolvat Scripta.

§. 16. Januam tandem claudit Curationis & nostræ opellæ fons Diæteticus, qui paucis adhuc proponendus restat, & in sex rerum nonnaturalium legitimo consistit usu. Aër itaq; ex his primum obtinens locum, sit temperatus, eligatur purus, vitetur maximopere frigidus, pluviosus, autumnalis hyemalis & vernalis. Cibus & potus varietati causarum accommodentur, sic si biliosi in causa sint humores, victu æger tenui ac refrigerante magis, ut pitifana, quam laudat *Forest. lib. 21. obs. 12. in Schol.*, utatur. Fæculentæ potiones fugiendæ, vino modicè ægri Colici utantur. Sitque ὀλιγόφορον, & si metuamus inflammationem, illud plane fugiatur, & loco hujus, diluendi gratia & temperandi biliosam acrimoniam Decoctum substituatur aliquod epicrasticum; ast in pituitosa & flatulenta Colica, hîc contrariis patientes utantur alimentis, cibique porrigantur magis calidi aromatibus ac discutientibus conditi, v. g. sem. fœnic. anis. cortic. citri Orant. &c. vitentur omnes non solum hîc, sed & in biliosa Colica, cibi cruditates augentes, ut fructus horarii, olera, pisces, pisa, castaneæ &c. εὐπεπτοὶ vero & εὐχυμοὶ seligantur, frigidiorum odisse potum expedit, generosum autem bibisse vinum confert. De motu & quiete notandum, omne nimium esse vitandum, juxta *Hippocr. πᾶν γὰρ τὸ πλὴν τῆ φύσεως πλέμιον* omne nimium naturæ inimicum. Somnus & vigiliæ quoque mediocritatis observent leges. Excretiones. si vel prorsus non vel segnius saltem succedant, naturæ officii sui monenda, & sollicitanda. Affectus animi rationis regantur fræno, mœror, tristitia, ac affectuum tyrannus, ira, exulent tradanturq; prætervis in mare Creticum portari ventis. Jam cum compendii lex plura addere dissuadeat, hîc pedem figo. Valeas itaq; B. L. & quæ fuere prolata sereno excipias vultu rogo. Tibi autem, ô S. S. Trinitas! pro viribus hætenus concessis sit
Laus, honor, & gloria, in sæcula sæculorum
Amen.



A Troces inter morborum mille figuras,
Qui mortale genus nostrum vexantq; ne-
cantq;,

Colica cum primis numeratur *passio* : pas-
sim

Quæ premit & pungit, penetratq; per in-
tima ventris

Viscera, sed tamen horrendo nunquam
absq; dolore.

Ergò perfectus Medicus qui tollere mor-
bum hunc

Novit, & afflicto didicit succurrere
Colo.

Hoc quia nunc spondent præsentia lem-
mata, non est

MOGENO invidias summos Doctoris
honores.

*Quos Nobil. DN. DOCTORANDO,
Favori colendo ita gratulabatur*

Mauricius Hoffmann, Med. D.
& Prof. Primar. Collegiiq; utriusq; Altdorf.
& Nor. Senior.



MOGENI, *Medica Propago Gentis*
Praeclara, & mihi certè Amice dulcis,
Extremum dum Academicum laborem
Conscendens Cathedram subis, peritè &
Monstras noscere Colicum dolorem
Sævum, & quei removendus ille, pan-
dis

His doctè Thesisibus; Mereris, Euge!
Laudem, premia digna conferet mox
Virtutis studiis Tuis Apollo,
Doctoris Titulumq; largietur.

Applaudens levibus precor Phaleucis:
Summus cunctipotens Deus medendi
Porro ausus regat & secundet ipsos,
Quò Praxis Tua sit salubris agris,
Permultis, Tibi gloriosa. Fiat!

B. O. E.

gratulabundus deproperab.

Jacobus Pancratius Bruno,
 Phil. & Med. D. P. P.

D 3

III. Mo-



MOGEN Te Laudes Patris revocare Beati
Lator, & ex busto famæ animare faces;
Apprecor, Alma Trias posthac Tua coepta
secundet,

Cedat in æternum Coccina mitra decus!

Ita

Nobilissimi & Clarissimi

DN. DOCTORANDI,

Amici honoratissimi,

Exorientis Glorie futuro

incremento

bono hoc omine

praludebat

Joh. Mauric. Hoffmann, D.

Prof. Publ. & Facult. Medic.

p. t. DECANVS.

D*ulce laboris Opus! Messem hanc ex Arte*
capeffe,
Laurea quam spondet, gratulor ecce, Tuam.

Affectûs sinceri tesseram

Imq; ponit

Christianus Ludov. Göckelius,

Sereniff. Ducum Saxonix Archiater,

Reiq; Publ. Norimb. Physicus

Ordinarius.

V. Quam-

V.

Quamvis nunc abiens miles sua praelia saeva
 indicet, ingentique malo Bellona per orbem
 saeviat, & ruptis inter se legibus urbes
 arma ferant; Tamen est & amor Tibi docta parare
 praelia, nec dubitas anceps certamen inire,
 in quo non factis diris, non ense, nec armis,
 sed solerte doces calamo; quæ passio nostri
 corporis, & quantus dolor hic in ventre malignus
 fit, vel corporibus noceat mala Colica quantum,
 atque quibus possis mediis sanare dolorem.
 Hæc cum laude doces, valeas quid in arte medendi,
 ecquis erit, qui quæso neget Tibi munera laudum,
 quæ multo merito, multo quoque jure tenebis,
 dum sociâ virtute caput das cernere doctum.
 Hinc igitur fausto specimen Tibi gratulor ore
 egregium, ex voto cedant Tibi fata secunda,
 morbis ut possis gravibus multisque mederi!

*Hisce gratulabatur Germano suo, Castra dum
 iterum visitaret, de obtinenda suprema
 in Medicina Laurea,*

Georg. Ludov. Mogen,
 Jur. Cand.

VI.

TE viva Divum progenies Honor,
 Te meta votorum, Sophia tuæ
 formosa merces ut PARENTEM,
 dulce lucrum posuit laborum

Inter decora fulgura Gloriæ.

Effudit in Te divitias suas

*Chiron Hydaspes proluunt
 letitias Tibi gratiores.*

MOGI,

MOGI, Camœnæ cum suo Apolline
Parnassi anhelantem bene culmina
fecere voti compotem Te:
adnuit Ambitus eruditus.

Paravit istum fervidus ingenii
ardore, per tormentaq; lenia
sic MOGIUS. Vivat beatus!
floreat & vireat perennis!

His observantiam erga Præcellentissimum
& Clarissimum DN. DOCTORANDVM,
Consobrinum suum horatissimum,
testari debuit

Rudolphus Martinus Meelführer.



ERRATA.

CAP. II. §. 2. lin. 12. leg. Insignes. p. 14. lin. 5. leg. meretur.
p. 18. lin. 8. leg. habet. eadem p. lin. 16. leg. in ileum. p. 19.
§. 2. lin. 6. leg. Symptoma.

01 A 6559


ULB Halle 3
002 936 151



Sb.

Vb 17







D. F. G.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

De
COLICA,

Quam
AUTHORITATE & CONSENSU
GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
In
INCLVTA NORICORVM VNIVERSITATE
ALTDORFFINA

Sub
PRÆSIDIO
SACRO-SANCTÆ TRINITATIS

Pro
LICENTIA
Summos in ARTE MEDICA Honores
ac Doctoralia Privilegia legitimè
impetrandi,

Publica disquisitioni Eruditorum submittet
PHILIPPVS WILHELMVS MOGEN,
Nassoicus.

Ad diem XVIII. Junij, A. C. M. DC. XCIV.

Typis HENRICI MEYERI, Universitatis Typographi.

44
48

